

## QUÆSTIO XIX.

### DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI

#### QUANTUM AD OPERATIONEM.

#### EXPOSITIO LITTERÆ.

Pro majori luce litteræ primi articuli D. Thomæ, advertendum est cum domino Cajetano hic, quod quando D. Thomas in præsentis inquirat de unitate operationis Christi, idem est atque inquirere de principio operatio propria virtute, sive illud sit divinitas, sive sit humanitas, sive compositum ex utraque. Imaginari ergo potest, quod operatio Christi est una, aut principium operativum tripliciter. Primo modo taliter, quod consideremus humanitatem esse unitam Verbo solum in ratione instrumenti, et quia de ratione instrumenti non est habere propriam virtutem operativam, sed operari in virtute principalis agentis, ideo tantum in Christo esset ponenda una operatio principalis agentis, nempe suppositi divini utentis humanitate ut instrumento.

Hæc autem positio hæretica est; tum, quia tollit veram unionem hypostaticam, cum solum asserat humanitatem esse unitam ut instrumentum ad secundum, sicut serra, vel calamus unitur artifici ut instrumentum ad secundum, vel scribendum; tum etiam, quia tollit ab humanitate naturalem operationem, quam habuisse constat ex sacra Scriptura; ac tandem, quia non sequitur quod si unita est humanitas ut instrumentum, non habeat operationem propriam, quia licet de ratione instrumenti, ut sic non sit habere operationem propriam procedentem a sua propria forma, tamen habere illam non repugnat instrumento, ut patet in instrumentis animatis. Quare non bene sequitur humanitas est unita Verbo ut instrumentum; ergo non habet operationem sibi propriam; et hoc ostendit D. Thomas in corpore articuli, et in hoc sensu præcipue impugnat errores hæreticorum.

Secundo modo considerari potest, quod licet humanitas Christi sit unita hypostatice, et habeat propriam operationem, illa non sit operatio omnino naturalis, non habens ex se aliquam libertatem, aut saltem non habens ex se aliquam moralitatem; sed solum esse bonam moraliter, eo quod dirigebatur a voluntate divina. Itaque sicut in puro homine est unica tantum operatio moralis, si consideretur ratione sui principii, quod in homine est unicum tantum, videlicet ratio, et voluntas, quamvis exerceatur a lingua, vel manu: ita similiter imaginari posset in Christo, quod operationes humanitatis se haberent in ordine ad divinitatem, sicut in puro homine se habent operationes manus, aut singulæ ad rationem, vel voluntatem, et consequenter, sicut in puro homine est tantum unica ope-

ratio humana ab unitate unius principii, ut D. Thomas docet in sequenti, ita similiter in Christo esset unica tantum operatio libera ab unitate unius principii liberi, nempe divinitatis.

Et hanc positionem etiam impugnat D. Thomas in præsentis articulo ostendendo, qua ratione in Christo sit duplex principium operativum liberum, nempe voluntas divina, et voluntas rationalis humana. Ex quo consurgit plena intelligentia illius differentiæ, quæ versatur inter vires inferiores animæ, quatenus subjiciuntur superioribus, et inter voluntatem humanam Christi, quatenus subjicitur divinæ; quæ consistit in hoc, quod vires inferiores, et similiter instrumenta corporis non habent aliam bonitatem, seu moralitatem nisi quam participant a voluntate, et ratione. Et voluntas humana Christi simul cum ratione est principium moralitatis actionis humanæ.

Tertio modo imaginari posset esse in Christo unicam tantum operationem, eo quod ex divinitate, et humanitate conflaretur unum principium operandi tamquam aliquod tertium resultans ex virtute operativa divinitatis, et humanitatis. Sed hæc positio non tantum est hæretica, sed omnino impossibilis, ut diximus in simili de naturis supra quæstione secunda, articulo primo.

Pro intelligentia tituli secundi articuli D. Thomæ, et conclusionis responsivæ notandum est, quod D. Thomas non agit de unitate numerali, aut specifica, aut generica operationum Christi Domini; istæ enim plures sunt in Christo Domino, sicut in quolibet alio homine, sed inquit de principio operativo humano communi omnibus prædictis operationibus.

Deinde advertendum est, quod etiam non loquitur in præsentis D. Thomæ de operatione humana stricte sumpta, sicut in prima secundæ, quæstione prima, et quæstione sexta, id est, de operatione humana libera, sed de operatione, quæ procedit a principio humano, videlicet a ratione, et voluntate, sive libere, sive necessario procedat. Quod adverterim propter visionem beatificam Christi, quæ licet necessaria sit, tamen sub eadem ratione operationis humanæ comprehenditur a D. Thoma, quia ab eodem principio, scilicet ab intellectu procedit.

Pro intelligentia tertii articuli D. Thomæ notandum est, quod materia illius gravissima est, de qua ex professo disputant doctores cum magistro in tertio, distinctione xviii et xix, et D. Thomas in præsentis cum omnibus suis interpretibus, quibus adjungendus est sapientissimus magister Vincentius in sua relectione de gratia Christi, quæstione quinta, articulo tertio, paginæ 397, et deinceps, ubi elegantissime materiam istam pertractat. Nos autem claritatis gratia ad duo capita materiam istam reducemus: in primo disputabimus de ipso merito Christi in communi, an in illo fuerit, quo tempore, et per quos actus exercebatur: in secundo autem de his rebus, quæ sibi meruit, vel non meruit Christus, et quid aliis meruerit.

Pro intelligentia quarti articuli D. Thomæ notandum est, quod multa dubia nobis disputanda essent in præsentis, videlicet utrum Christus meruerit Angelis gratiam primam, et gloriam essentialem: utrum etiam gratia sanctorum patrum veteris legis data fuerit ex meritis Christi, etc. sed de primo dicemus hic; de secundo supra quæstione secunda, articulo undecimo egimus.

## DISPUTATIO XVII.

DE ACTIONIBUS MERITORIIS CHRISTI QUOAD  
SUBSTANTIAM, REGULAM, ET TEMPUS.

## ARTICULUS I.

*Utrum omnes operationes Christi es-  
sent humanæ, hoc est, ex delibera-  
tione rationis procedentes?*

I. Pro explicatione hujus difficultatis advertendum est ex D. Thoma in hoc articulo I et II, quæst. I, art. I, quod actio humana est illa, quæ procedit ex voluntate deliberata per rationem: aliæ vero actiones, quæ in homine reperiuntur non procedentes isto modo, dicuntur quidem actiones hominis, non tamen actiones humanæ, ut ostendit D. Thomas in hoc articulo dum apponit exemplum de actionibus, quæ procedunt secundum naturam elementi corporalis, quæ est in homine, ut ferri deorsum; et in actionibus, quæ procedunt secundum virtutem animæ vegetabilis, ut augeri et nutriri. De Christo igitur propter maximam ejus perfectionem est in præsentibus dubitatio, an omnes ejus actiones, nulla excepta, essent humanæ, ita ut ex deliberatione rationis procederent.

II. Prima conclusio: Omnes illæ actiones, quæ in Christo procedebant a voluntate deliberata per rationem, erant vere, et proprie humanæ. Hæc conclusio clarissima est, et patet ex ipsa definitione actionis humanæ. Et similiter, quia tales actiones in aliis hominibus erant vere, et proprie humanæ; ergo etiam in Christo. Patet consequentia, quia perfectiones naturæ huma-

næ, quæ in aliis hominibus reperiuntur, multo excellentius ponendæ sunt in Christo; ergo si in aliis hominibus sunt vere, et proprie humanæ, multo melius in Christo Domino.

Secunda conclusio: Operationes procedentes in Christo ab appetitu sensitivo erant actiones humanæ. Probat, quia illæ actiones semper erant in Christo ex deliberatione rationis, et motione voluntatis, et non poterant prævenire rationem ipsam, sed directionem ejus sequantur; ergo erant actiones vere et proprie humanæ.

III. Tertia conclusio: Quamvis actiones animæ vegetabilis, videlicet nutritio, et augmentatio, et quæ procedunt secundum naturam elementi, ea parte, qua procedebant a principiis naturalibus dicerentur naturales Christo Domino, poterant tamen vocari actiones humanæ in Christo. Probat conclusio, quia voluntas humana Christi intime concurrebat ad tales operationes procedentes ex principiis naturalibus propter perfectum dominium, quod habebat supra talia principia; ergo erant actiones humanæ. Probat consequentia, quia principalis consideratio earumdem actionum desumebatur per ordinem ad primum principium totius compositi, quod est voluntas.

IV. Confirmatur, quia licet voluntas humana Christi considerata ut instrumentum Verbi haberet virtutem supra talia principia naturalia productiva talium operationum, tamen quia erat instrumentum animatum taliter a principali agente movebatur, quod etiam moveret se libere per consilium, et deliberationem, aut saltem per hoc, quod intellectus creatus ostendebat illi objectum ad quod debebat concurrere dum movebatur a Verbo, et ita voluntas ipsa se movebat libere, atque

adeo poterat ut instrumentum Verbi libere impedire tales operationes procedentes ex principiis naturalibus, quod sufficit, ut illæ actiones dicantur humanæ.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

V. Pro parte negativa arguitur: Quia saltem operationes animæ vegetabilis, videlicet nutritio, et augmentatio, et quæ procedunt secundum naturam elementi, ut est ferri deorsum, non procedebant ex deliberatione rationis, aut ex motione voluntatis, sed ex principiis naturalibus, quæ non subduntur rationi; ergo illæ actiones non fuerunt humanæ in Christo.

VI. Quod si dicas: Quod principia proxima harum operationum sunt qualitates naturales, tamen primum principium a quo proveniunt est ratio, et voluntas deliberata, quia poterat Christus per suam voluntatem detinere, aut impedire talia principia naturalia, ne prodirent in actus suos.

VII. Contra hoc est, quia licet voluntas Christi impedire posset prædictas operationes, illud tamen non erat per virtutem naturalem voluntatis humanæ, sed per virtutem supernaturalem sibi communicatam, quatenus erat instrumentum Verbi; ergo hoc non erat sufficiens ut illæ actiones denominarentur proprie humanæ. Consequentia probatur, quia ad hoc ut voluntas conferat prædictam denominationem actionis humanæ, requiritur quod ipsa habeat rationem agentis principalis movendo se, et reliquas potentias, atque adeo non sufficit habere rationem causæ instrumentalis, quæ ab alio movetur; ergo solutio insufficientis est. Antecedens probatur, quia ad hoc ut aliqua actio sit humana, requiritur quod in illa seipsum mo-

veat homo per consilium, et deliberationem rationis.

VIII. Respondetur solutionem ibi datam optimam esse. Ad cujus replicam negatur consequentia, et ratio ejus est, quia licet voluntas humana Christi esset causa instrumentalis mota a divino Verbo, tamen movebatur juxta naturam suam, hoc est, per deliberationem rationis, atque adeo ad rationem actionis humanæ ut sic non est necessarium quod sit a causa principali, vel instrumentali, sed quod procedat a voluntate deliberata per rationem, et cum hoc reperiatur in Christo respectu operationum animæ vegetabilis, et illas impedire poterat propter dominium, quod supra suum corpus habebat, dici possunt tales operationes humanæ. Qua de causa dixit D. Thomas in fine corporis articuli, quod in Christo multo magis erat una operatio, quam in quolibet.

## ARTICULUS II.

*Utrum revera Christus mereri potuerit?*

I. Pro decisione difficultatis notandum est, quod ad hoc ut aliquis actus sit meritorius necessario prærequiruntur aliquæ conditiones ex communi sententia theologorum, de quibus videatur magister Vincentius pagina 507, §. Sed et alia. Prima est, ut illa actio sit ab homine justo, et grato, nam ab homine peccatore procedere nequit actio vere, et proprie meritoria: secunda, quod opus illud sit liberum, nam in naturalibus, ut Aristoteles ait, nec meremur, nec demeremur: tertia, quod opus illud sit bonum, et in Deum relatum, nam per opera prava potius demeremur: quarta, quod sit ab homine viatore, defectu cujus